

428. — Quoad festos ac missae adsistentiam, tum sacri canones, tum liturgia, tum morum theologia sequentia jubent¹:

a) Quoad dies festos in genere:

I. Quoad quodcunque genus festorum [in choro et in foro] erectionem et abrogationem ac modum, sive positivum, sive negativum quo debent sanctificari [etsi temporale damnum exinde fidelibus fortasse eventurum] statuere, pleno iure, exclusive ad Ecclesiam pertinet.

II. Festa de praecepto universum orbem christianum spectantia solus R. Pontifex, seu Concilium Generale instituere potest. Festivitates vero ex devotione celebrandae, pro sua respectiva dioecesi institui possunt ab Episcopo ex beneplacito; dies festos, ex publico fidelium voto, pro sua paroecia et Parochi statuere possunt.

III. Festa de praecepto servanda, novissimo ex iure a SS. D. N. Pio PP. X promulgato², huc redeunt:

1. Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis D. N. I. C., Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Mariae, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

2. Festum Natale S. Iosephi die 19 Martii sine feriacione et sine Octava, sub ritu duplici primae classis recolatur, adhibito titulo: Commemoratio S. Iosephi, Spons. B. M. V. Confessoris³. Festum Patrocinii S. Iosephi Dominica III post Pascha, sub ritu duplici primae classis cum Octava, addita Festi primarii qualitate celebretur sub titulo: Solemnitas S. Iosephi, Sponsi B. M. V. Confessoris, Ecclesiae Universalis Patroni⁴. Diebus infra Octava et die Octava Solemnitatis S. Iosephi adhibeatur officium, uti prostat in Appendice Octavarum Romani⁵.

3. Sanctissimi Corporis D. N. festum absque feriacione, sub ritu duplici primae classis et cum Octava privilegiata ad instar Octavae Epiphaniae, celebretur Feria V post Dominicam SS. Trinitatis, adhibito titulo: Commemoratio Solemnis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi⁶. Dominica infra Octavam huius festivitatis, in Ecclesiis, Cathedralibus et Collegiatis, recitato Officio cum relativa missa de eadem Dominica, unica Missa Solemnis cani potest, uti in Festo, cum *Gloria*, unica Oratione, Sequent, Credo et Evangelio S. Ioannis in fine. Ubi vero non adsit Missae conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine. Hac vero Dominica peragatur solemnis processio cum SS. Sacramento, praescripta in Caeremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII⁷. Eius octava gaudet festum aliquod duplex primae classis intra hanc octavam privilegiatam occurrens, et duplicia primae classis occurrentia excludit, excepto SS. Apost. Petri et Pauli festo inclusive⁸.

4. Feria VI post Octavam celebretur, ut antea, Festum SS. Cordis Iesu sub ritu duplici primae classis⁹.

5. Festum SS. Trinitatis, Dominicae I post Pentecostem affixum, a modo sub ritu duplici primae classis recoletur¹⁰.

¹ Cfr. Deshayes et DD. cit.

² Motu Proprio, *Supremi*, II jul. 1911, ad I.

³ In eiusd. declar. S. C. R., die 24 jul. 1911, ad I.

⁴ *Id.* Ibid., ad II.

⁵ *Id.* Ibid., ad III.

⁶ *Id.* Ibid., ad V.

⁷ *Id.* Ibid., ad VI.

⁸ Declar. eiusd. in eod., die 17 nov. 1911.

⁹ Eiusd. decl., 24 Jul. 1911 ad VII.

¹⁰ *Id.*, ad IV.

6. Patronorum festus ecclesiastico praecepto non subiacent, et eorum exteriorem solemnitatem ad dominicam proxime sequentem transferre Ordinarii possunt¹.

At in re, SS. mi D. N. Pii PP. X decreti conclusionem, attente ac perseveranter meditentur Pastores, quo tantum eius mens adamussim sequentur: *Novum Apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes, spem Nos certam fovemus, fideles universi iis etiam diebus, quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem, et in Sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testaturos, ceterisque diebus festis, qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore quam antehac studio observandum praeceptum curaturos*². Idcirco, si cessationis a laboribus servilibus, ac missam audiendi praecepta excipias, ab antiqua consuetudine nil in re mutatum teneas; quod fidelibus omnibus sedulo recolendum ut huius pontificiae benignitatis mentem penetrando, suae conscientiae officia adamussim adimpleant.

b) Quoad liturgiam, ex nuperrimo iure³ ad normam breviarii reformationis⁴, ita festi dies distribuuntur:

I. Dominicae majores:

a) Primae classis:

a) Prima Adventus, Quadragesimae et Passionis, Palmarum, Paschatis, In Albis, Pentecostes, Trinitatis.

b) Secundae classis:

Secunda, Tertia, Quarta Adventus, Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae; Secunda, Tertia, Quarta Quadragesimae.

II. Feriae majores:

a) Privilegiatae:

a) Quarta Cinerum; Secunda, Tertia, Quarta majoris hebdom.

b) Non privilegiatae:

a) Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Secunda Rogationum.

III. Duplicia primae classis:

a) Primaria:

Nativitas Domini ac Epiphania; Pascha Resurrectionis cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus; Ascensio Domini; Pentecostes cum duobus sequentibus diebus; Festum SS. Trinitatis; Commemoratio solemniss. Corporis D. N. J. C.; Immaculata Conceptio; Annuntiatio ac Assumptio B. Mariae V.; Nativitas S. Joannis Baptistae; Commemoratio solemniss. S. Ioseph, Sponsi B. M. V. Conf.; Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V. Conf. Ecclesiae Universalis Patroni; Festum SS. Petri et Pauli Apost., Omnium Sanctorum, Dedicatio Ecclesiae propriae, ejusque Anniversarium; Anniversarium Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis; Titulus propriae Ecclesiae;

¹ *Motu prop.*, cit. ad III. — Cfr. S. R. C. 28 jul. 1911, 17 nov. 1911.

² Decret. S. C. R. 23 jan. 1912.

³ Motu Proprio *Supremi*, cit.

⁴ Const. *Divino afflatu.*, cit.

Titulus Ecclesiae Cathedralis; Patronus Principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae, vel Nationis; Titularis et Sanctus Fundator Ordinis seu Congregationis.

b) Secundarium:

Festum SS. Cordis Jesu.

IV. Duplicia secundae classis:

a) Primaria:

Circumcisio ac Transfiguratio Domini; Dedicatio Archibasilicae SS. mi Salvatoris; Purificatio, Visitatio, Nativitas B. Mariae V.; Dedicatio S. Michaelis Arcangeli; Natalitia undecim Apostolorum; Festum S. Marci Evangelistae, S. Lucae Evangelistae, S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium Martyrum, S. Laurentii Martyris, S. Joachim, Patris B. M. V., S. Annae, Matris B. M. V.

b) Secundaria:

Festum SS. Nominis Jesu; Inventionis S. Crucis; Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.; Septem Dolorum B. M. V. mense Septembri; Solemnitas SS. Rosarii B. M. V.

V. Duplicia majora:

a) Primaria:

Dies Octava cujuslibet Duplicis primae classis Primarii; Dedicatio Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli; Dedicatio S. Mariae ad Nives; Praesentatio B. M. V.; Festum SS. Angelorum Custodum, Decollatio S. Joannis Baptistae, S. Barnabae Apostoli, S. Benedicti Abbatis, S. Dominici Conf., S. Francisci Assisiensis Conf., S. Francisci Xaverii Conf., Patronorum minus Principalium.

b) Secundaria:

Dies Octava cujuslibet Duplicis primae classis Secundarii; Exaltatio S. Crucis; Apparitio B. Mariae V. Immaculatae; Festum Septem Dolorum B. M. V. tempore Quadragesimae; Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo; Festum SS. Nominis B. M. V. ac de Mercede; Apparitio S. Michaelis Archangeli; Cathedra S. Petri Apostoli Romae et Antiochiae; Festum ejusdem ad Vincula; Conversio S. Pauli Apostoli; Commemoratio S. Pauli Apostoli; Festum S. Joannis Apostoli ante Portam Latinam.

VI. Alia duplicia vel semiduplicia primaria:

a) Dies octava cujuslibet Duplicis secundae classis Primarii.

b) Dies natalitia, vel quasi natalitia, cujuscumque Sancti.

VII Alia duplicia vel semiduplicia secundaria:

Dies octava cujuslibet Duplicis secundae classis secundarii; Impressio Sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf; Inventus S. Stephani Protomartyris; Festa sive Domini, sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, praeter eorumdem natalem diem, uti Inventionis, Translationis, Patrocinii, et hisce similia.

VIII) Ad rem nuperrimae habentur declarationes:

a) Festum Commemorationis Omnium SS. S. R. E. Summorum Pontificum in locis, quibus idem festum, sub ritu duplici minori vel maiori, pro Dominica prima libera post Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli iam concessum est, adhuc celebrari licet, die prima mensis iulii fixe adsignata.

b) Item Festum Commemorationis SS. Reliquiarum in locis quibus idem Festum pro aliqua Dominica, sub ritu duplici minori vel maiori, iam indultum est, in postremum celebrari adhuc potest, die quinta mensis novembris fixe adsignata.

c) Si aliquod festum Ecclesiae Universalis, seu Beatae Mariae Virginis, sive Sanctorum, sub ritu duplici minori vel maiori, alicubi die

Dominica concessum fuerit celebrari, amodo in die sua omnino reponendum est¹.

c) Quoad missam audiendam²:

I) Ut fideles huic satisfaciunt praecepto, ex integro [vel saltem ab Evangelio ad consummationem calicis] unam missam audire debent.

II) Quamvis, ad moralem praecepti finem plenius assequendum, ut in quantum fieri potest, in paroeciae ecclesia, et quidem, missae paroeciali intersint fideles quam maxime adhortandi, attamen illi quoque qui privatam et in aliis Ecclesiis et oratoriis publicis audiunt missam huic obligationi satisfaciunt.

III) Ad conscientiae absolvendum debitum requiritur intentio ac personalis seu realis praesentia, quae, tamen, dummodo sacerdotis actionem caerimonialibus ex signis et a longinquo, oculis vel auribus, sequi possit, etsi [ratione concursus] in Ecclesiae sacro quis commoretur, haberi potest.

IV) Aegritudinis, officii, et longinquitatis [quae saltem a 2 kilom. et etiam minus ob coeli inclementiam, esse debet] causa et ita porro, sufficit ut non tantum uti sacramentalis confessionis minister, sed uti Parochus, unum alterumve fidelem peculiaribus in casibus dispensare ipse possit.

429. — Quoad servilia opera in diebus dominicis ac festis a fidelibus omittenda, plura fundamentalia principia recolenda sunt, quae ita ex theologia morali³ excerpimus:

A) Praeceptum abstinendi ab operibus, tum opera servilia, tum forensia, non vere liberalia ac communia, respicit.

B) Huius praecepti obligatio [per integrum diem a media nocte usque ad mediam noctem] ex genere suo, gravis est, et qui sive continuo, sive interrupte per trinas circiter horas servilibus impendat operam, gravem in culpam incidunt. — De forensibus vero, non tam ex quantitate temporis, quam ex operis qualitate proprie sumpta iudicandum est.

I) Quae certo ex servilibus operibus censenda sint sequentia dicent:

a) opera ruralia ut arare, fodere, serere, metere, etc.;

b) opera mechanica ut coementaria, ferraria, lignaria, sartoria, sutoria, textoria, sculptoria, typographica ars, etc.;

c) labores operariorum in fabricis, fodinis fusoriis, excavationibus minerariis, etc.;

d) leves labores manuales, etsi exigua corporis fatigatione egeant, ut rosaria, scapularia, flores artificiales conficere, ac rosas decerpere pomaque decorticare.

II) Ex forensibus negotiis certo prohibentur:

I) Actus iudiciales qui sive causa civilis, sive saecularis, sive ecclesiastica cum strepitu fiunt, qui et annullantur⁴. Quod si strepitus absit, minime vetantur.

2. Actiones civiles seu mercatus, ut publicae nundinae, et mercandi actus, nimirum emptionis, venditionis, locationis non solum prohibentur, sed etiam

¹ S. R. C. 9 febr. 1912.

² Cfr. Noldin, *De Praeceptis Dei et Ecclesiae*, n. 268 et seq.

³ Id. Ibid.

⁴ Cfr. *Conquestus* 5, De *Feriis* II, 9;

Benedict. XIV, *Ab eo tempore*, 5 nov. 1745, n. 26.

annullantur. — Attamen, ex hodierna consuetudine, nundinae annuae, in quibus res quae pridie in locum nundinarum afferuntur, ubi consuetudo adest, diebus festis licitae sunt. — Nundinae hebdomadariae¹ adeo vetantur semper ut [in quantum magistratus haud impediatur, quo in casu, necessitatis causa, fideles excusantur] si in festus diem incidant, anticipari vel posticipari debeant.

3. Venditiones:

a) publicae quibusdam in locis, divinis peractis, toleratae, per se illicitae habendae sunt;

b) Privatae venditiones vero, non solum illarum rerum ad usum quotidianum pertinentium, sed etiam aliarum, etsi multum requirant temporis, ex consuetudine, licitae sunt. Attamen venditiones in officinis publicis peragendae prohibentur; quo fit ut, nisi alicubi contraria consuetudo vigeat, diebus festis, officinas suas claudere mercatores debeant.

4. Contractus:

a) solemnes venditionis, emptionis, locationis etc., qui, scilicet, cum instrumentis a notariis confectis, et cum auctoritate publica fiunt, nisi contraria invaluerit consuetudine, diebus festis prohibentur.

b) Privati contractus venditionis qui sine instrumentis publicis, privata auctoritate fiunt, ex universali consuetudine permittuntur. Sic diebus festis, passim, conducuntur operarii, emuntur ac venduntur bestiae, locantur domus et similia.

III) Opera dubia sunt delineare, sculperere, acu et poenicillo pingere, photographia parare, molere [quod tamen si molendinum aqua, vento, vel electrica vi ageretur, consuetudine accedente, permitti potest] ac typographicam artem exercere, in qua tamen typorum coadunatio, nisi in publica officina a multis fiat, permitti potest.

IV) Opera certo liberalia sunt: litterarum et iuris studio vacare, docere, canere, musicalia instrumenta pulsare, delineare, scribere ac transcribere [etiam mechanice], choreas agere, etc.

V) Opera certo communia, etsi cum magna corporis defatigatione fiant, non prohibentur, ac talia sunt: pedibus, equo, navi ac curru iter facere, venari, aucupari, arundine vel parvis retibus piscari.

c) Attamen et causae ab abstinentia laboris excusantes habentur quae, in pietatis ac necessitatis² dispescuntur. Idcirco:

I) Ratione pietatis opera servilia quae proxime ad divinum cultum ordinantur et ex illis quae ad hoc remote tantum spectant uti ornamenta pro Ecclesiis atque pauperibus conficere³, permittitur.

II) Ratione propriae necessitatis ab hoc praecepto eximuntur:

a) famuli qui ab hero laborare coguntur, nec facile alium dominum invenire possunt;

b) pauperes, qui alias se ac suos haud sustentare valeant;

c) matres familias, quae proprias ac suorum vestes, aliis diebus, haud reficere possint;

d) ancillae, quibus ut vestes suas resarcire ac lavare possint, per hebdomadam non conceditur;

¹ Cfr. S. Alph. III. 365; Genicot, I. 325, 11.

² Cfr. *Liceat* 3, et *Conquestus* 5, de *Feriis* II, 9.

³ Cfr. Genicot, I, n. 337.

e) operarii proprium hortum colentes, si per hebdomadam extra domum laborare debeant;

f) agricolae, urbem petentes ut quae necessaria sunt sibi comparent, dummodo aliis diebus id agere non possint;

g) agricolae, qui ob praeteritam vel imminentem pluviam, foenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt, fructus decerpunt, ac similia.

III) Ratione necessitatis *alienae* excusantur a peccato:

a) sutores conficientes vestes necessarias ad funera, vel ad nuptias sequenti in die peragenda, in quo tamen cum his qui consuetudinem laborandi in festis teneant, severe habendum;

b) misericordiae opera in pauperum subsidio exercentes, uti vestes conficere, ligna advehere, dummodo, ratione propriae necessitatis, id pauperes agere non possint;

c) fabri qui operariorum instrumenta sequenti in die utenda reparant;

d) urgentibus necessitatibus inservientes, ut in extinguendis incendiis, vel alio publico infortunio.

IV) Ratione *communis* necessitatis, ab hoc praecepto eximuntur:

a) pistorum tum ratione consuetudinis, tum ratione necessitatis panem ac placentas conficientes;

b) laniones qui animalia occidunt ac excoriant, dummodo pridie id fieri non possit;

c) publicam ac prophanam solemnitatem parantes, ex. gr. ob adventum Principis, victoriam celebrandam, necessaria conficientes.

V) Tandem ratione *consuetudinis* licet:

a) parare cibos, lectos sternere et vestes scopulis mundare;

b) barbitonsoribus barbam radere ac capillos tondere;

c) currus vel navigia onusta ducere;

d) labores leves perficere qui, quamvis per se serviles, attamen si privatim habeantur, ex consuetudine, liciti esse possunt.

430. — Sed si in his binis praeceptis observantia, haud sedula Pastoris vigilantia accedat, haec omnia recoluisse quid proderit? Quapropter ad utraque quod attinet:

a) Quae et quanta ex horum praeceptorum neglectu, christianae observantiae universae ac fidelibus omnibus, immo et societati civili gravissima proveniant detrimenta, attente Pastor consideret, et, data occasione, dilecto gregi suo recolere ac inculcare ne omittat. In quo praecepto, tamen, publice explanando, ne potiusquam ad eius observantiam, ad eius negligentiam, sensim sine sensu, fideles pertrahantur, casuisticorum distinctiones ac epikeiae devitandae quam maxime.

b) Quantum in se est, causas omnes quibus huius praecepti observantia in discrimen adduci potest, sedulo eliminat Pastor, atque a coeteris omnibus devitari curet. Quapropter:

I) Ut saltem dum sacra peraguntur officia [ut in complurimis, quamvis haereticorum, Gentibus, lege statutum est] mercatorum om-

nium officinae ementibus ne praesto sint [etiam, si opus est et a lege concessum, brachii saecularis auxilio adhibito] Pastor curabit. Ad quod vero ac ubique expeditius assequendum, ab his tantum negotiatoribus qui in diebus festis venditionem recusant, emere mercem, et ut idem fideles praestent prudenter ipsis suadere, praestabit quam maxime. Complurimi, enim, quae conscientia vetat, pecuniae tantum causa servant.

II) Ut, saltem, dum sacra habentur officia, cauponae, coffei domus, publicae choreae alique publici ludi et similia fidelibus ne pateant sedulo curabit Pastor, qui si in re segniter se habebit, plura, quam maxime lugenda, sibi ac dominico gregi comparabit.

c) Laicales Consociationes ac Sodalitates illae quibus, tum directe, tum indirecte, festorum observantiae consulitur, in quantum licet ac Ordinarius sinit, adiuventur. Quamvis, enim, hae haud semper catholico sub nomine veniant, nec catholicam rem adamussim foveant, attamen, ubi melius obtineri nequit, a servilibus saltem operibus abstinentiam, harum ope, assequi licet, quo facilius ad divina officia fideles pertrahuntur.

d) Ubi opificia habeantur, quaedam cum eorum Moderatoribus inire statuta, quibus [in quantum licet] festorum observantia in tuto ponitur, praestabit. Cum his, enim, mala discordia, saepe nimis, nil aliud prodest quam ad huius coeterorumque praeceptorum, ex operariorum et dominorum parte, neglectum fovendum, ut quotidiana experientia docet.

e) Prophanas vero Peregrinationes illas, in festis, solatii causa, a quibusdam Sodalitatibus indici consuetas, prudenter compescat et ut saltem antequam ipsis indulgeant dominicali praecepto, in tempore, socii satisfaciant, sedulo curabit Pastor. Quapropter antequam a paroecia ipsi discedant, adeo matutino tempore unius missae celebrationem decernat, ut volentibus praesto sit. — Si vero ab alia paroecia huiusmodi generis commeaiones in propriam habeantur, missarum ordinem adeo componat ut, in quantum licet, S. S. Sacrificio adsistentia in tuto ponatur. Ad Dei et Ecclesiae legem conficiendam, hisce in die festo publice initis solatiis, malarum sectarum assecclas uti, pro certo Pastor teneat.

f) Ne vero sanctificationis dies in perversionis tempus immutetur, quantum a cauponum, chorearum, tripudiorum aliorumque scandalorum complurimis occasionibus ac praetextibus, quae cum Ecclesiae mente haud conciliari possunt, frequentandis fideles deterrendi sint [quin honesta ipsis desint solatia] non est cur Pastori repetamus. Si, enim, et

coetera pietatis officia festiva fideles praestarent, quin haec omnia omitterent, nec Dei servitio, neque proprio spirituali bono ipsi consulerent. Quapropter festorum observantia praecepta in sua genuina mente explananda fidelibus est; *quod nemo intelligat de majore quadam inertis otii usura, multoque minus de cessatione, qualem multi expetunt, faultrice vitiorum et ad effusiones pecuniarum adiutrice, sed omnino de requiete operum per religionem consecrata... Haec maxime natura atque haec causa quietis est in dies festos capiendae*¹.

g) Ne oblivioni locus sit, quolibet die dominico, de quibusdam intra hebdomadam occurrentibus festis, fideles admonendi sunt.

h) Quamvis [ut diximus] qualibet in Ecclesia ac rite constituto oratorio privato, festivo missae praecepto satisfacere fideles possint, attamen, ut, in quantum fieri potest, in ecclesia paroeciali idem ipsi praestent eos suadeat Parochus, ne paroeciae negligendo iter, quae eius coetera sunt iura fidelibusque officia nimis facile ab ipsis posthabeantur. Ex hac, enim, consuetudine, paroecialis vitae interitum, ut plurimum, oriri, quotidiana experientia docet. Igitur, ut et bono exemplo fideles coeteri sint, ut ordinario more vel saltem interdum hoc ipsi praestent, comiter, prudenter [quibuscumque iniuriam devitando] eos moneat Pastor. Haec omnia praesertim de paroeciali missa locum obtinent, in qua, gregi suo dilecto sermonem faciens Parochus, ad christianam observantiam fideles incitat, ac de peculiaribus infra hebdomadam tum festorum, tum ieiuniorum, tum indulgentiarum recurrentibus diebus, eos admonet, ac matrimoniorum denunciations publice populo proclamat.

i) Ad complurimas in re fidelium praecavendas excusationes, sequentes industrias prae oculis Pastor habeat:

I. Diebus festis, dum licet, adeo tot missae in Ecclesia habeantur, quot generales fidelium condiciones postulant, ut commode ipsis interesse possint.

II. Hae missae aptis constituentur horis seseque inter satis procul, et si quidquid in re immutandum foret, ne deceptioni locus sit, antecedenti in festo, publice ac, ut plurimum, voce commoneantur fideles.

III. Ne sacerdotes celebrantes, potiusquam utilitati, fastidio ac detrimento fidelibus sint, in sacris peragendis expeditius quam in diebus ferialibus se habeant, quin tamen in missae celebratione horae trientem [20 min.] minuunt, ac sacras caeremonias quoquomodo pessudent. Ex diversa, enimvero, agendi ratione, complurimas mussitationes, immo,

¹ Leo XIII, *Rerum novarum*, 15 maj 1896.

et huius praecepti neglectum oboriri, adeo omnibus in comperto est, ut qui recte sapiunt, hanc sedulo devitabunt.

D) Tandem, si aliquod tum personale, tum generale ac peculiare impedimentum habeatur quo ab operibus servilibus abstinencia in discrimine adduci possit, adeo prudentiae caritativae Pastor inserviat, ut [servatis a iure servandis] super re fideles solvat. Quapropter in messis vel in alio simili adiuncto, si necessitas urgeat, divinum officium mature celebratum, vespertinas preces cum primo, conglobatas vel penitus omissas, quaedam supererogatoria pietatis opera fidelibus injuncta, ac, tandem, nimiam severitatem non minus ac benignitatem nimiam devitando, tum fideles omnes, tum hos tantum quorum interest, ab huius praecepti observantia, Parochus dispenset. Si, enim, Sanctae Ecclesiae auctoritas severa est, attamen aspera non est; et cum filiorum suorum genuina necessitas, vel evidens utilitas poscit, misericordiae suae viscera peramanter ostendit. Haec genuina pastoralis regiminis indoles est, cui omnibus in adiunctis studere, gravissimum Boni Pastoris conscientiae officium extat. Quod utinam omnes intelligerent!

Articulus II.

DE QUIBUSDAM ECCLESIAE PRAECEPTIS.

§ I. — De tertio ac quarto Ecclesiae praecepto, nimirum, de *annua Confessione*, ac de *Communione Paschali*.

SUMMAE RERUM. — 431. Quoad annualem confessionem quae morum theologia jubeat — 432. Quaedam peculiaris in re industria Pastori recolitur — 433. De Communioni Paschali tum ex canonibus, tum ex morum theologia synopsis — 434. Pastoralia in re monumenta recensentur.

431. — Ut fideles omnes, cum ad discretionis annos pervenerint, semel saltem in anno, proprio sacerdoti peccata sua confiteantur, Ecclesia jubet¹. Qua in re animadvertendum est²:

I) Quoad tempus a quo haec obligatio incipit, de SS. Eucharestia agentes iam vidimus; nempe, ut plurimum, paullo ante septimum annum, et quibusdam in adiunctis, etiam prius, nimirum statim ac inter res et res pueri distinguere sciunt³.

¹ Can. *Omnis utriusque sexus*, 12 de *Paenit* X, V, 38.

² Cfr. Noldin, *op. cit.* n. 681 et seq.

³ SS. D. N. Pius PP. X, decret. *Quam singulari*, cit.

II) Annuae confessionis praecepto illi tantum tenentur qui grave peccatum commiserunt.

III) Huic praecepto qui invalide et sacrilege confiteatur non satisfit, Contraria sententia damnata est¹.

IV) Proprius sacerdos est Parochus, episcopus, S. Pontifex; sed nunc confessio fieri potest etiam cuicumque sacerdoti approbato.

V) Huius obligationis tempus ad divini praecepti impletionem urgendam ab Ecclesia determinatur²; quo fit ut qui intra annum praeceptum non impleverit, postea ad illud servandum quamprimum confiteri teneatur; praecedentis, enim, anni obligatio semper urget.

432. — Hoc quoque in paschalis confessionis adiuncto, quae in genere et in specie pro tanto sacramento alibi recolimus prae oculis habeantur. Praesertim vero ut liberius, commodius ac securius huic satisfaciendo praecepto ferantur fideles, confessariorum copiam tum ex saeculari, tum ex regulari clero electorum, ipsis comparare quam plurimum iuvabit. Quod et aliquoties in anno, maiorum Festivitatum causa, quam maxime consulendum, ne sacrilegii occasio praebetur, vel saltem ut haec ab ipsis arceatur. — Ad utrumque vero punctum ferendum ut Parochus adeo nulla in re ialousia laboret, ut omnino libere ad quemcumque confessarium fidelibus pateat accessus, numquam satius saudebitur.

433. — Quoad Paschalis Communionis praeceptum, tum canonum, tum theologiae morum praecipuae ordinationes³ huc redeunt:

I) Praeceptum est de iure divino⁴ adultis fidelibus saepius in vita et in mortis periculo Sacram Eucharistiam suscipere.

II) Praeceptum est de iure ecclesiastico⁵ omnibus utriusque sexus fidelibus, praemissa peccatorum confessione, reverenter ad minus semel in anno, tempore Paschali, Eucharestiae Sacramentum in propria Parochia⁵ a suo Pastore suscipere. Qui, vero, alibi facient, huic praecepto minime adimplent; excipe tamen: a) privilegium, vel ipsius Parochi licentiam habentes; b) Communitates quae fuerunt in hoc exemptae; c) parochiani paschali tempore absentes, aut qui ad Ecclesiam paroecialem accedere, absque incommodo, non possunt; d) laici intra regularium domus degentes ac ipsis inservientes.

III) At ad rem considera:

I. Tempus paschale, ex universali Ecclesiae lege, quindecim dies tantum complectitur, nempe a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive⁶. Episcopi, tamen, pro singulari persona vel aliquo pago, vi quasi-ordinariae potestatis, vel omni pro diocesi ex consuetudine, vel ubi haec non viget, ex speciali

¹ Alexand. VII, proposit. 16.

² Cfr. Lugo, *De Poenitent.* disp. XV, n. 177 et seq.

³ Cfr. Noldin ac DD. cit.

⁴ S. Alphons. VI, 295; Suarez, *De Eu-*

charest. d. 69 s. I et 3; S. Thom. *S. Th.* III, q. 80, a. 11.

⁵ Cap. *Omnis utriusque* 12. *De Poenitent et remitt.* X, V, 38.

⁶ Eugenius IV, *Fide digna*, 8 jul. 1440.